



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS* TEMPLUM IN
DIOECESI TRICHURIENSI EXSTANS**

BEATAEQUE MARIAE VIRGINI «OUR LADY OF DOLOURS» VULGO

APPELLATAE DICATUM INSIGNITUR TITULO BASILICAE MINORIS Ad perpetuam rei memoriam. – Templum Beatae Mariae Virginis «Our Lady of Dolours» vulgo appellatae, quod ad Ecclesiam Trichuriensem pertinet, dignum videtur ut quadam honestetur laude. Id enim opinamur tum ad Christianam fidem alendam tum ad Marialem cultum fovendum haud paulum conferre posse. Hac potiore de causa, postquam Venerabilis Frater Iosephus Kundukulam, Episcopus Trichuriensis, sua suique cleri ac populi expromens vota, non dubitavit poscere ab Apostolica Sede, ut nominatum templum exornaretur dignitate Basilicae Minoris, Nos, cum de eadem re iam Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum viderit ob facultates a Nobis factas, eius sententiam ratam facimus, atque simul vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute templum quod diximus B.M.V. «Our Lady of Dolours» vulgo appellatae gradu tituloque Basilicae Minoris insignimus, iuribus traditis et privilegiis eiusmodi ordinis Basilicarum propriis, iis probe servatis, quae per Decretum «de titulo Basilicae Minoris» sunt anno MCMLXXXIX statuta, die IX mensis Novembris. Apostolicas Litteras has Nostras nunc et in posterum religiose servatas exerceri volumus suosque etiam habere effectus, contrariis quibuslibet haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vicesimo quinto mensis Aprilis, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana